



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

Cap. I. De extremam-unctionem suscipientibus & ministrantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

## TRACTATUS VI.

## RESOLUTIONES CASVVM

*Pastoralium,*

## DE MORIBUNDIS ET

mortuis.

## CAPUT I.

## DE EXTREMAM VNCTIONEM

*suscipientibus & ministrantibus.*

**Q**UAERO. *An pueris habentibus  
usū rationis danda sit Extrema-  
Unctio?* Resp. non solere dari, nisi post-  
quam ad Sacramentum Communio-  
nis admissi sunt. Non video tamen  
cur eis non possit administrari, cum  
tam capaces peccati mortalis judi-  
cantur, & cum per sensus qui inun-  
gu solent, certum est deliquisse. Ne-  
que enim est Ordo necessarius inter  
Eucharistiam & Extremam-Unctio-  
nem; tum quia olim dabatur alicubi  
ante Eucharistiam, seu Viaticum; tum  
quia major requiritur reverentia ad  
Eucharistiam, quam ad Extremam-  
Unctionem; & ideo posset hujus capax  
esse puer, qui necdum foret capax Eu-  
cha-

charitativæ. Potest tamen Pastor hac in re consuetudini suæ Dœcesis sese accommodare.

2. *QUAERO. An mulieribus in partu periclitantibus danda sit Extrema-Vnctio?* Resp. id vetari in *Synodo Mediolanensi* 4. p. 2. in his tamen provinciis sollet dari. Nec apparet ratio sufficiens, cur privarentur hoc fructu. Quantum ad phreneticos, furiosos, aut amens, eis etiam administranda est, nisi perpetuo fuerint tales, aut nisi excommunicatione, vel notorio peccato in amentiam inciderint, sine ulla poenitentia.

3. *QUAERO An pastor tenetur per Vnctionem, & alia Sacramenta, adesse infirmo moribundo?* Resp. stricta obligatione non teneri, nisi forte ad talem statum redactus sit, ut illius praesentia moraliter judicetur necessaria: puta quia variis agitatur tentationibus, quibus praesentia Pastoris opem debet ferre. Tenetur enim Pastor salutem ovium suarum curare, quamdiu illis superest halitus; & quando hic & nunc

indicatur esse periculum, tanto stri-  
ctius obligatur, quandoquidem dam-  
num foret irreparabile.

4. *QUAERO. An teneatur Pastor mor-  
tuo agrum de testamento condendo? &  
hoc ordinarie debere fieri, atque et-  
iam præscribi in Pastoralis Leodiensis, ut  
post Eucharistiam administratam à  
Pastore fiat. Putat vero Navarr. cura  
quibusdam, esse obligationem sub  
mortali; sed existimo id solum verum  
esse, quando Pastor prævidet vel præ-  
videre debet damna gravia secutura  
post mortem, si æger non testetur. Ex-  
ortandus vero est infirmus ad testan-  
tum, dum est in gratia; & si testamen-  
tum condidit, dum non erat in gratia,  
ortandus ad illud Deo offerendum;  
tum in gratia jam existit.*

5. *QUAERO. Si infirmus velit testari,  
Parochus teneatur ejus testamentum  
amquã Notarius conficere & scribere?  
Resp. si nullus sit alius qui id possit, te-  
neri. Unde Parochi omnes in nostra  
Diocesi Leod. censentur ad hoc inju-  
dicio competentes Notarii, adjunctis  
duo-*

duobus testibus, sicut & in causis matrimonialibus. Veruntamen velim Curatos sese quantum possunt, ab hoc onere eximere, & illis committere qui juris & praxis sint periti. Etenim à Jurisconsultis peritissimis audiui, maximam partem processuum & litium quas tractant, originem habere ex imperitia, vel Notariorum, vel Parochorum, qui testamenta aut matrimonialia scripta condentes, non expresserunt clare, vel satis peritè mentem testantis, aut contrahentis: ideoque sine sufficienti capacitate Scripturis similibus conficiendis se immittendo, gravium damnorum causæ existunt.

6: **QUAERO** An quando quis absolvitur in periculo mortis, debeat alia forma, quam ordinaria absolvi? Respondeo sufficere ordinariam: Ego te absolvo à vinculo excommunicationis in quantum possum & indiges, deinde ego te absolvo à omnibus peccatis tuis, &c. Rectè tamen additur, à vinculo excommunicationis & omnibus censuris, ut etiam docet Paderbornensis.

*rochiale Leodiense, fol. 141.* agens de Ex-  
 trema-Uñctione. Ubi tamen cave er-  
 rorem quorundam, qui ministrantes  
 Uñctionem, jubent recitari *Confiteor*  
 per ægrum, vel assistentes, deinde  
 formam jam dictam pronunciant, qui  
 eam in Parochiali ibi reperiunt: nec  
 advertunt esse formam sacramenta-  
 lem, quæ non est danda, nisi cum æ-  
 ger peccatum aliquod confitetur. Er-  
 ror autem iste gravis est, nec tamen in-  
 frequens.

## CAPUT II.

*Demodo adjuvandi Moribundum.*

**Q**UAERO. *Quis optimus modus mo-  
 ribundum adjuvandi?* R. I. hor-  
 tandus est, ut Symbolum Apostolo-  
 rum plenâ fide recitet vernaculo ser-  
 mone; vel si non potest ore, mente id  
 faciat cum Sacerdote, & annuat se  
 intelligere, & protestari se in ea fide  
 velle mori, & perseverare. Iuvat e-  
 nim plurimum - ut sicut in ingressu vi-  
 tæ per Baptismum, Symbolum per se,  
 vel per susceptorem quisque recitat;  
 ita & in egressu ex hac vita idem

Nn                      repe-